7

# PRAELECTIO

*HABITA*

AB NICOLAO BRAUCIO

In Regio Archigymnaſio Neapolitano
v. Calendas Octobres MDCCLX.

*Pro Cathedrae Hiſtoriae Naturalis petitione.*

NEAPOLI MDCCLX.
EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI RAYMUNDI
*SUPERIORUM FACULTATE.*

Antonii Durazzini
Ex dono Jo: Laurentii Guarnieri

Google

Εἰ πᾶσι ταὐτὸ Καλὸν ἔφυ σοφόν θ᾽ ἅμα,
Οὐκ ἦν ἀμφίλεκτος, ἀνθρώποις ἔρις.

*Si omnibus idem eſſet pulchrum, egregiumque ſimul,*
*Non eſſet ambigûa diſſentio inter homines.*

Euripides in Phoeniſſis uſ. 502.

Digitized by Google

TExtus, quem heſterna die ſors mihi obtulit, eſt Pedacii Dioſcóridis Anazarbei ( ex Anazarba videlicet oriundi Ciliciae olim Civitate, quam poſtea Caeſaream Auguſtam dixere) caput 166. lib. 2. de Materia Medica juxta exemplar Joannis Ruellii (*a*), cujus capitis inſcriptio eſt *Capparis*.

Dioſcorides in hoc capite Capparis deſcriptionem tradit ſatis diſtinctam, & copioſam, ſecus ac ipſemet Auctor, vetereſque omnes facere conſueverunt, qui parum ſolliciti in ſedula ſtirpium deſcriptione, ac



(a) *Francofurti apud Chr. Egenolphum Hadamarium* 1549.

Digitized by Google

multo minus in methodica ipſarum expoſitione deprehenduntur. Hujus notas Dioſcorides ſic memoriae prodidit: *Capparis aculeatus frutex eſt, qui in terra ſtratus, magis in orbem evagatur: ſpinas ut rubus habet, in hami modum aduncas: folia mali cotoneae, rotunda: fructum oleae ſimilem, qui cum dehiſcens panditur, florem candidum promit, quo excuſſo nonnihil glandis oblongae figura invenitur, quod apertum grana acinis punicorum ſimilia oſtendit, parva, rubicunda: radices lignoſas ſpargit, grandes, numeroſaſque. Tenui plerumque ſolo, aſperiſque locis in inſulis, & juxta rudera naſcitur.* Poſt haec Capparis uſus & facultates recenſet, morboſque ſigillatim numerat, quibus planta diverſo pacto parata conveniat.

Ne quid autem de Plantae notis a Dioſcoride allatis, invito excidat, tribus capitibus meam Praelectionem concludere in animo eſt. Primum agam de nomine, & ethymo Capparis, ac de generica ejus deſcriptione, ubi nonnulla de methodicis characteribus ad mentem melioris notae Botanicorum tradam. Secundo de differentiis, ſeu ſpeciebus hujus plantae. Poſtremo facultates, & uſus enarrabo.

Cap-

Digitized by Google

Capparis nomen ex Graecis Latini ſunt mutuati. A nonnullis enim Cynosbatos, quaſi canis ſpina; ſed nominatim Cynosbatos, ſive Canirubus, eſt Roſa ſylveſtris, uti adnotant Botanici; Cornarius autem ſic denominatam eſſe contendit, quod quaedam communia cum Cynosbato habeat, ſed quae illa ſint, non demonſtrat, ait Joannes Bauhinus. Alii vocem Capparis a capite derivant, quia calyces hujus plantae parva veluti capitula referunt. Phavorinus Capparim dicendam tenet, quod in campis provenit. Bodoeus a Stapel, quod furori, & melancholiae medetur, παρὰ τὸ Καππάνειν ἀράν.

*Capparis*, inquit Auctor, *aculeatus frutex eſt*: appellat hanc plantam fruticem, licet puſillam, & praeteneram, quam jure Tournefortius inter herbarum, & ſuffruticum claſſes recenſuit. Verum ſcitu dignum eſt vocem θάμνος apud Graecos, ſeu *frutex* apud Latinos quamcumque plantam indigitare, ſive herbacea, ſive fruticoſa ſit. Hinc vitio Dioſcoridi vertendum non eſt, ſi Capparim fruticem vocaverit, quoniam uſus apud recentiores invaluit, maxime poſt Ruellii aetatem, plantas lignoſas, & arboreſcentes frutices appellari.

*In*

Digitized by Google

*In terra ſtratus magis in orbem evagatur:* melius hanc textus particulam vertit Marcellus Virgilius ; ἐπὶ γῆς γυροειδῶς ἐϛρωμένος , *in gyrum per terram ſparſus* . Prae ſua duritie potius erecta ſtare deberet planta , quam procumbens ; ſed ſtolones in exortu nonnihil teneri ſunt , ac propter foliorum craſſitiem, quibus undique ſcatent , facili negotio procumbunt ; lignoſi vero facti in eodem ſitu remanent.

*Spinas ut rubus in hami modum aduncas:* Quam hic deſcribit Auctor Capparis ſpeciem a Caſpare B. Pin. dicitur , *Capparis ſpinoſa fructu minore folio rotundo* ; illamque ſynonimia convenientem facit cum Cappari ſpinoſa Bellonii , cum Cappari retuſo folio Lobelii , Italica Caeſalpini , & Cappari rotundiore folio Gerardi . Sunt & Capparis ſpecies non ſpinoſae , quae Dioſcoridem latuiſſe videntur, de quibus melioris ordinis gratia in ſecunda meae Praelectionis parte verba faciam , ratione habita contextus Dioſcoridis. Aculeos inſtar rubi eſſe & hamatos aſſerit: hamati ſeu uncinati num merito dici poſſint, dubito ; quoniam ut hamati eſſent , oporteret , ut apices aculeorum angulum acutum ,

vel

Digitized by Google

vel ſaltem rectum cum reliqua aculei parte efformarent, quod verum non eſt; hinc aculeos potius in apice recurvos, quam hamatos appellaverim: quin Hieronymus Tragus in ſua Nomenclatura Stirpium tribuit Cappari ſpinas acutas, quales ſunt rubo.

*Folia rotunda mali cotoneae*. Tragus dicit Aſari. Similitudo in ſola foliorum rotunditate ſita eſt; nam folia mali cotoneae latiora foliis Capparis viſuntur; haec rurſus alternatim circa caulium ramos naſcuntur, non longis pediculis inſidentia. Pauca inſuper ex Joanne Bauhino Hiſt. Plantarum circa Capparis notionem attexere opportunum exiſtimo, eo quod ſua diligentia in tradendis plantarum deſcriptionibus ceteros ſui aevi Botanicos ſuperaſſe viſus eſt. His igitur, addit Bauhinus, quod ex foliorum ſinu pediculi ſingulares exeunt longi, quibus capitula inſident viridia, quae explicata florem exhibent candidum Roſae parvulae aemulum, medium obtinentibus infinitis fibrarum cyrris. Semen pericarpio oblongo clauditur, multum, parvum, quod Dioſcorides Punicorum, ſive mali granatae acinorum inſtar dicit: Parkinſonus durum, fuſcum, ſimile uvae gigarto.

Colli-

Digitized by Google

Colligimus itaque Capparis florem è roſaceorum familia eſſe, ſcilicet ex petalis in orbem poſitis conflatum , ut Princeps Botanicorum Tournefortius definivit. Seguierius, qui Tournefortianam methodum emendare ſategit in libro de Plantis Veronenſibus, redegit Capparem ad ſuam octavam claſſem, in qua plantae flore tetrapetalo expoſitae ſunt . Vidit enim Clariſſimus ille Auctor plantas omnes flore tetrapetalo eamdem naturam habere , ſive cruciformes ſint flores , ſive roſacei ; ſiquidem omnes fructum ſiliquoſum , vel ſiliquarum aemulum gignere ſolent , ac propterea in unam eandemque claſſem retulit.

Flore Capparis interius inſpecto apparent innumera ſtamina , quae cyrros cum Bauhino vocavimus ; hinc Linnaeus ſexualis ſyſtematis Auctor, Capparem ad claſſem decimam tertiam reducit, cujus character Polyandria , hoc eſt plures mariti, ſeu ſtamina receptaculo adnata in eodem cum piſtillo flore, quod cum in Cappari unicum ſit, erit primi ordinis claſſis Polyandriae , cui nomen Monogynia. Characteres, qui a laudato Auctore ſtatuuntur , ſunt , corolla te-

tra-

Digitized by Google

trapetala, calyx tetraphyllus, capſula carnoſa monolocularis polyſperma.

Videtis modo quid interſit inter Linnaei, & Tournefortii methodum. Tournefortius e floris, & fructus forma & ſtructura characteres plantarum deſumpſit: Linnaeus a numero, & ſitu ſtaminum cum piſtillis. Linnaeana methodus, etſi ſyſtemati naturae congruentior, Tyronum tamen captui non admodum facilis evadit. Non ſemel exilitas illa ſtaminum tam fugax, ut nec nudis oculis, nec quovis temporis momento obſervari poſſit, in errorem trahit. Praetereo, quod nomina plantarum Auctor ſubvertit, & permutat, ſuoque arbitrio & alia imponit, quae nec ſatis clara, aut ſatis efficacia exiſtimat incomparabilis vir Albertus Hallerus in Praefatione Enumerationis Plantarum H. R., & Agri Gottingenſis. Quapropter Tournefortianae methodo acquieſcens hos recipio Capparis characteres genericos: *Capparis eſt plantae genus flore roſaceo, quatuor plerumque petalis in orbem poſitis conſtante: ex cujus calyce ſurgit piſtillum embryone inſtructum, qui deinde abit in fructum, ut plurimum pyriformem, vel ſiliquoſum, carnoſum, in quo veluti*



Digitized by Google

*nidulantur plurima ſemina non raro ſubrotunda, & quaſi reniformia.*

Sed quid de radicibus Capparis dicemus, quas lignoſas, grandes, numeroſaſque aſſerit eſſe Dioſcorides? Revera hujuſmodi ſunt: unum addam, illas eſſe reſtibiles, hoc eſt, quae quotannis nova germina emittunt. Cumque planta iſthaec radices egerit, niſi frequenter, & in tempore extirpetur, adnotante Trago, poſtea non facile evelli ſe patitur. Tandem effert Dioſcorides, Capparim aſperis locis, tenuique ſolo, puta rara & exſoluta terra, in inſulis, & juxta rudera naſci. Theophraſtus lib. 8. cap. 5. Hiſt. Nat. dubitat num Capparis in locis cultis naſcatur: teſtimonio tamen Matthioli colligimus, Capparim ſua aetate perinde ac ſegetes & legumina cultam, quemadmodum & Plinii temporibus, qui ſerendi rationem lib. 19. cap. 8. his verbis refert: *Quippe cum Capparis quoque ſeratur, ſiccis maxime, area in defoſſu cavata, ripiſque undique circumſtructis lapide, alias evagatur per agros, & cogit ſolum ſterileſcere.* Rajus item Hiſt. cultam circa Tolonam in Gallo-Provincia ad muros, & macerias ſe obſervaſſe teſtatur; tum vero in foraminibus mu-

murorum lapideorum trium, vel quatuor pedum intervallo prope terram ad id factis, Cappares plantari ſcribit. Cultu ergo exit, ſed cultu leviſſimo contenta eſt, ut docet Columella lib. 11. cap. 3.

His de notis Capparis ſatis ſuperque enarratis, modo, menti Dioſcoridis obtinendae, pauca de ejus ſpeciebus attingere neceſſe eſt, quod ſecundo loco mihi pertractandum propoſui: eo vel maxime, quod Cappares è variis oris provenientes eſui haud aeque aptas habemus in textu. *Africa, & praeſertim Mamarica Capparis vehementer inflat; Apula vomitus facit, & quae a Lybico, & quae a Rubro mari defertur mirum in modum acris eſt; ſiquidem in ore puſtulas excitat, gingivaſque oſſe tenus exeſt, quare in cibis non abs re damnatur.* Galenus quoque 7. Simplicium ſcribit: *Capparis quae in valde calidis ferventibuſque regionibus provenit, ut quam fert Arabia, multo eſt noſtrate acrior, adeout plurimum etiam habeat adurentis facultatis.* Tum Plinius lib. 13. cap. 23. de Cappari ſcribens ait: *Cavenda ejus genera peregrina, ſiquidem Arabicum peſtilens; Africum gingivis inimicum; Mamaricum vulvis*

*& omnium inflationibus ; Apulum vomitus facit, ſtomachum & alvum movet*. Antonius Saracenus vero in ſuis Scholiis , ut huic Auctori Plinium congruentem redderet, ſic legendum putavit : *Arabicum peſtilens gingivis inimicum ; Mamaricum &c. Mamaricum enim & Africum idem eſſe conſtat* . Quid interim dicendum? Nos de ſpecie Capparis, a qua gemmae florum in illis regionibus depromuntur, nil certi ſumus. Fortaſſe una eademque eſſe poterit cum planta , quam habet Auctor in textu , quae ob ſoli , coelique naturam, & inclementiam variare poteſt ; quemadmodum noſtram, quae ſpinoſa non eſt , quaeque in omnibus ruderatis locis , & cingentibus Urbem hanc noſtram moenibus provenit cubitali longitudine , in Arabia arboreſcere ſcribit Bellonius . Sed quid vetat quin credamus , vel a diverſis ſpeciebus gemmas depromptas eſſe? Utique variae Capparis ſpecies Botanicis recenſentur , quas nedum a regione diverſas facimus, ſed ratione foliorum, aut magnitudinis fructus, aut poſitu, & carentia ſpinarum. Tournefortio praeter Capparim ſpinoſam , & levem nobis indigenam , aliamve folio

ſolio acuto, (quam varietatem primae ſpeciei facit J. R. H.) recenſetur Capparis Sicula duplicata ſpina ſolio acuto Bocconi Rariorum Plantarum 79: Duae Americanae Lauri folio, floribus albis, quarum altera fructu longiſſimo, altera vero fructu ſubrotundo Plum. Capparis ſpinoſa fructu minore, foliis tomentoſis, Coroll. Reſtant binae aliae arboreſcentes Indicae flore tetrapetalo, quarum altera Bodukka, altera Solda a Comellino in H. Malabarico dicitur. Ab hoc genere excluditur Capparis portulacae folio C. B. Pin, quae Fabago eſt. Fortaſſe & aliae ſpecies apud recentiſſimos rei herbariae Scriptores haberi poſſunt, quas ne extra chorum ſaltare videar, conquirere non curavi ( ).

Reſtat ut inſtituto inhaerens, aliqua de Capparis facultatibus dicam. Dioſcorides primo loco caulem, & fructum cibi gratia condiri affirmat. Condiebatur Capparis apud veteres partim coctione, partim maceratione in aceto, vel muria: idque fieri conſuevit, ut ejus vis irritans & pene adurens edul-

Digitized by Google

edulcoraretur & miteſceret . Nam praeter Dioſcoridis auctoritatem , Galenus quoque de Simplicium Medicamentorum Facultatibus lib. 5. cap. 25. Capparis radicem reponit in cenſum plantarum adurentium, ut ſunt Napi , Thapſia , Pyrethrum . Quod Chemicis Geoffroidii obſervationibus examuſſim reſpondere videtur , qui ab hoc frutice ſalem eſſentialem nitroſo-aluminoſum cum oleo copioſo conjunctum eduxit . Atque haec eſt ratio cur Capparis apud veteres coqueretur, & cur cocta potius , quam cruda ſtomacho utilior dicatur.

In aceto vero macerata erit ceu obſonium & medicamentum ad appetentiam , quae collapſa fuerit , excitandam accommodatum, ut habet Galenus 2. de Alimentorum Facultatibus cap. 34. Cui profecto facultati reſpexerunt Sacrae Litterae cap.12. Eccleſiaſtis verſ. 5. *Excelſa quoque timebunt , & formidabunt in via : florebit amygdalus , impinguabitur locuſta , & diſſipabitur Capparis* , ſcilicet appetitus . De tribus hominis aetatibus videntur hic Sacrae Litterae loqui, de juventa, virilitate, & ſenectute, in qua appetitus ſane proſtratus eſt .

*Fructus drachmis duabus &c.*

Digitized by Google

Digitized by Google